

illum inferre, & prohibere, stantibus omnibus requisitis ex parte actus primi. ¶ Nec refert, quod iudicium determinatum sensus est unum ex requisitis ex parte actus primi, & hoc positum voluntas non potest prohibere talem actum. Non (inquam) refert. Nam voluntas potest inferre, aut prohibere tale iudicium, & ex consequenti actum ipsius appetitus. Et per hoc constat discrimen inter actus sensuum externorum, & actus sensuum internorum, & ex consequenti inter actus appetitus sensitivi, quod voluntas potest prohibere actus istorum, positis prærequisitis ex parte actus primi, v.g. speciebus, & applicatione materiae, secus vero actus sensuum externorum. Etiam patet discrimen inter actus appetitus sensitivi, & actus membrorum externorum: quia hi, estio subiecteant dominio voluntatis, comparantur ad illam præcisè per modum effectus, & actionis transcurrentis, secus vero actus appetitus sensitivi.

53. Arguitur *secundò*: Nam si in prædictis potentijs esset intrinsece moralitas, malitia actus esset diversa à malitia actus voluntatis: ergo cõfiterentur duplex peccatum: sed hoc communiter rejicitur: ergo non est alia malitia intrinseca, præter eam quæ refidet in actu voluntatis.

Ad hoc argumentum facile responderetur, quod licet in actibus aliarum potentiarum sit formalis malitia distincta realiter à malitia existente in voluntate, solum potest inferri, quod est duplex peccatum metaphysicè, secus vero moraliter, prout necesse est declarari in confessione. Et inflatur in actibus elicitis à voluntate, v.g. in intentione, & electione, de quibus nullus cordatè dubitabit, aut negabit, quod unusquisque actus importat suam malitiam intrinsecam, sicut nec negabit, quod habeat intrinsecam libertatem; & tamen solum constituunt duo peccata metaphysica, non moralia.

54. Arguitur *tertiò*: Nam si actus appetitus sensitivi esset capax bonitatis, & malitiæ, posset esse peccatum mortale: sed hoc est falsum: ergo non est capax bonitatis, & malitiæ intrinseca. Maior patet: quia malitia illius esset eiusdem speciei cum malitia voluntatis, quæ potest esse peccatum mortale. Minor verò probatur ex D. Thom. infra q. 74. art. 4. ubi docet, peccatum mortale non posse esse in sensualitate; eò quod hoc consistit in deordinatione circa ultimum finem, ad quem sensualitas non potest ordinari: ergo actus appetitus sensitivi nequit esse peccatum mortale.

Ad hoc argumentum responderetur; sensum D. Thomæ tantum esse, quod sensualitas secundum se, & prout præcindit ab imperio voluntatis, non est capax peccati mortalis: quod verissimum est. Sed per hoc non tollitur, quod, prout ab ea imperatur, non possit esse subiectum peccati mortalis. Neque ratio adducta ex D. Thom. aliud convincit: nam quamvis sensualitas adhuc

ex participatione voluntatis non veretur immediate circa ultimum finem, quia hoc est proprium voluntatis, verari tamen potest ex participatione illius circa media connexa cum illo, & à voluntate electa; & tunc eadem malitia mortalis reperitur in actu voluntatis, & appetitus.

55. Vitio arguitur ex Div. Thom. infra quæst. 20. art. 3. ubi docet, ita se habere bonum respectu voluntatis, & actus exterioris, sicut se habet sanum comparative ad animal, ad medicinam, & urinam; sed sanum solum convenit intrinsece animali, medicinæ vero & urinae extrinsece: ergo bonitas solum convenit intrinsece actui voluntatis; actibus vero exterioribus extrinsece à bonitate existente in actu voluntatis. Iam si esed nomine *actus exterioris* accipitur D. Thomas omnes actus imperatos: ergo in actibus intellectus, & appetitus sensitivi non reperitur bonitas, aut malitia intrinseca.

Ex hoc argumento inieritur, bonitatem non reperiri intrinsece in actibus imperatis à voluntate, & simul elicitis, puta in electione; quia nomine *actus exterioris* etiam intelligitur à D. Thom. actus imperatus, etiam si sit elicitus à voluntate; quod non concedent Adversarij. Igitur D. Thomas in loco supra relato solum agit de actu proprie exteriori, qui procedit à sensibus, & membris externis, ut rectè suadent nostri Salm. tract. 13. disp. 10. n. 20. Vnde prædictum testimonium multum roboris præstat primæ, & secundæ assertioni, sed ex eo nihil potest concludi contra tertiam.

DISPUTATIO III.

De indifferentia actus humani.



Ro complemento huius Tractatus, addimus hanc tertiam & ultimam disputationem de actibus indifferentibus; de quibus expressè agit D. Thomas in hac q. 18. art. 8. & sequenti alitque in locis. Indifferentia autem actus humani potest esse duplex alia in ordine ad bonum, & malum; altera in ordine ad meritum, vel demeritum. Et hæc vterius potest esse duplex, vel in ordine ad præmium vite æternæ, vel in ordine ad aliquod præmium temporale. Si ergo loquamur de indifferentia in ordine ad præmium vite æternæ, planum est, dari plures actus indifferentes tam secundum speciem, quam secundum individuum, ut sunt omnes actus boni moraliter eliciti à peccatore, qui non sunt meritorij vite æternæ: eò quod meritum illius dependet essentialiter à gratia, ut trademus tractatu de Merito infra: neque demeritorij, ut ex se liquet. Si loquamur de merito, aut demerito secundum quod, seu in ordine ad præmium temporale, hoc pacto idem dicendum

Dub. I. An detur aliquis actus indifferens secundum speciem? 497
tum est de indifferentia ad meritum, & demeritum. ac de indifferentia ad bonum, & malum moraliter: quidem condignitas ad præmium, vel supplicium est passio quatuor modo proprii bonitatis, aut malitiæ moralis. Vnde ad hanc disputationem tantum spectat agere de indifferentia prima ad bonum, & malum moraliter.

DUBIUM I.

An detur aliquis actus indifferens secundum speciem?

Leet præcipuus scopus huius disputationis sic indifferentia actus humani prout in individuo; oportet tamen nonnulla prælabere circa eum, sumptum secundum suam speciem, seu secundum id, quod habet ex suo obiecto essentiali. Pro quibus deservunt hoc, & sequens dubium. Pro resolutione tamen huius dubij aliqua supponenda sunt.

§. I.

Nonnullæ suppositiones.

Supponendum est *primò* contra nonnullos (quos supprebis nominibus referunt Mag. in 2. dist. 4. r. & D. Thomas ibidem dist. 40. q. 1. art. 5. & ibidem ad Annibald. q. unica art. 3. & q. 2. de Malo art. 57.) non omnes actus humanos ex specie sua esse indifferentes. Ita communiter Theologi. Et colligitur aperte ex scriptura, ubi plures actus secundum se sumptis commendat, & alios vituperat; ut liquet in illo Tobie 12. *Bona est oratio cum ieiunio, & elemosyna.* Et in illo Apost. 1. ad Corinth. 7. *Bonum est homini mulierem non tangere.* In alijs locis vituperatur mendacium, fornicatio, odium Dei, peritium, quæ non referimus ob prolixitatem vitandam. Accedit quod plures operationes lege naturali, & absolute præcipiuntur, ut cultus Dei, honor Parentum; & aliz prohibentur, ut homicidium, adulterium; sed quæ lege naturali absolute prohibentur, secundum se, & ex sua specie sunt mala, & quæ præcipiuntur, bona: ergo non omnes actus humani sunt ex sua specie indifferentes. Adde: Nam dantur habitus ex sua specie boni, & ex sua specie mali: ergo etiam actus: nam habitus inclinant ad actus eiusdem rationis.

Nec refert, quod nullus est actus, qui ex circumstantijs non possit fieri bonus, aut malus; vel liquet in actu habente obiectum bonum, si adit circumstantia mala; & in actu habente obiectum malum, si adit ignorantia invincibilis. Non inquam refert: Nam saltem actus amoris Dei ex nulla circumstantia potest vitari peisè loquendo. Adde: quod dato, quod omnis actus possit vitari, iam supponitur, quod habet obiectum bonum, & ex hac parte nequit esse ex obiecto indifferens. Et si supponitur habere obiectum malum, necessariò inferitur, quod vel non sit hu- Paul. Theol. Salm. Tom. II.

manus; vel quod absolute sit malus. Maximè quia iam supponitur, habere obiectum secundum se malum, & ita ex obiecto nequit esse indifferens.

2. Supponendum est *secundò* contra alios (quos etiam supprebo nomine referunt D. Thomas locis relatis) quod si dantur opera, quæ ex obiecto sint indifferentia, etiam verba. Et ita sicut quedam opera sunt ex se bona, & alia ex se mala, & alia ex se indifferentia, ita dicendum est de verbis. Et ratio est: quia eadem ratio est de verbis, ac de operibus: siquidem verba sunt figura rerum, & conceptuum: ergo si ex operibus quedam sunt ex se bona, & alia mala, & alia indifferentia; etiam ex verbis quedam debent esse ex se bona, ut laudare Deum dicere veritatem; alia mala, ut verba his opposita, & alia indifferentia, ut canere, vocare Petrum, &c. Vnde difficultas est cum Scoto, an possint dari actus humani, qui ex sua specie sint indifferentes. Negativam sententiam tuetur expressè Subtilis Doctor in 2. dist. 7. q. unica art. 1. quem sequuntur aliqui eius discipuli, ut Vulpes disp. 69. art. 9. & 10. & alij, quamvis Mastrus in hoc tract. num. 305. illum explicet, & trahat ad sententiam communem, referens pro ea nonnulla loca, in quibus concedit actus indifferentes secundum suam speciem, quibus (ut inquit) standum est: quia sine evidenti contradictione defendi non valet, quod detur actus indifferens in individuo, & non ex sua specie. Affirmativam defendit Div. Thomas in præf. art. 8. quem sequuntur omnes eius discipuli, necnon communiter Authores ex Schola Iesuitica, & Scotica.

Difficultas etiam est, an detur actus indifferens ex genere, & non ex specie? Affirmativam tenent Salas tract. 2. disp. 4. sect. 1. in princip. Illa dephonus Baptista disp. 189. dub. 2. & alij, quibus suffragantur N. Salm. ut infra dicemus. Negativam defendit Montensis in præf. disp. 2. 5. q. 14 §. *Mibi tamen videtur.*

§. II.

Quadruplex assertio pro veritate asserenda.

3. Dicendum est *primò*, dari aliquos actus indifferentes ex suo obiecto specificante. Hæc assertio potest probari ex auctoritate SS. PP. nam lib. 2. de Serm. Domini in monte cap. 18. inquit D. Augustinus: *Sunt quedam facta media, quæ possunt bono, vel malo animo fieri, de quibus iudicare temerarium est.* Ex quibus verbis probatur assertio: nam aliqui actus sunt, de quibus libere factis est temerarium iudicare, eò quod possunt fieri ex bona, vel mala intentione: ergo necessariò fatendum est, quod prædicti actus ex sua specie sunt indifferentes. Probatur consequentia: nam de actibus ex suo obiecto bonis licitum est nobis iudicare, & etiam de actibus ex suo obiecto pravis; & sic

Ret non

non est temerarium iudicare de accessu viri ad non suam, nec de elemosyna: de primo actu recte iudicamus, quod est malus, quamvis ex bona intentione fieret; & de secundo recte iudicamus, quod sit bonus saltem secundum se, quidquid fit de intentione: ergo illi actus, de quibus recte non possumus iudicare, eo quod possint fieri ex bona, vel mala intentione, sunt ex se indifferentes.

Et confirmatur tum ex D. Hieronymo in epist. 89. ad Sanct. August. ubi ait: *Bonum est continentia, malum luxuria; inter hac datur medium, ut ambulare*: Ergo hic actus est ex se indifferens. Tum etiam ex D. Thoma in praef. ubi ait: *Contingit autem, quod obiectum actus non includit aliquod pertinens ad ordinem rationis, sicut levare fessucam de terra, ire ad campum, & huiusmodi: & tales actus secundum speciem suam sunt indifferentes*. Similia verba habet pluribus alijs in locis. Ex quibus:

4. Probatur secundum rationem: Nam species actus sumitur ab obiecto; sed dantur plura obiecta, quae ex se neque sunt bona moraliter, neque mala, sed indifferentia: ergo dantur plures actus indifferentes secundum speciem. Minor probatur: tum, quia obiecta, quae non cadunt sub praecipio precipiente, aut prohibente, ex se neque sunt determinate mala, neque bona moraliter; sed plura sunt obiecta, ut levare fessucam, ire ad campum, & similia, quae non cadunt sub praecipio precipiente, aut prohibente; quia lex aut dictamen rationis non dicit ea esse facienda, vel non facienda: ergo plura sunt obiecta, quae ex se neque sunt determinate mala, neque determinate bona, sed indifferentia. Patet consequentia: nam lex solum praecipit actus bonos, & prohibet actus malos, vel recte tradit D. Thomas infra quaest. 92. art. 2. Tum etiam: nam si essent determinate mala, non nullum finem possent recte appeti, quia non sunt facienda mala, unde eveniant bona: & si essent determinate bona, possent in individuo recte appeti abque applicatione alterius finis honesti sicut bonum est dare elemosynam ob intrinsecam bonitatem, quam habet ex se, & abque applicatione alterius finis honesti, unde actus levandi fessucam esset meritorius, aut demeritorius iuxta superiora dicta; hoc nullus admittit: ergo dantur plura obiecta, quae ex se non sunt determinate bona, aut mala moraliter.

5. Dicendum est secundum dari actus indifferentes ex genere, qui non sint indifferentes ex sua specie. Haec assertio est consentanea doctrinae D. Thomae in 2. ad Amibald. dist. 40. art. 3. ubi ait: *Actus aliquis potest tripliciter considerari. Vno modo ratione sui generis, & sic omnis actus est indifferens, quia ex hoc, quod est actus, non habet, quod sit bonus, vel malus; sed plures*

actus ex sua specie sunt mali: ergo iuxta Divi Thomam plures actus sunt indifferentes secundum genus, qui non sunt indifferentes secundum speciem. ¶ Et confirmatur: Nam accessus ad mulierem ex genere neque est bonus, neque malus, sed indifferens, ut expressè tradit Divi Thomas in 2. dist. 40. quaest. 1. art. 5. ad 4. sed consideratus secundum suam speciem determinate est bonus, si est ad suam, & determinate malus, si est ad non suam: ergo idem, quod prius.

Est etiam consentanea N. Salmant. pluribus in locis praecipue tract. 13. disp. 6. num. 9. ubi docent, plures dari actus, qui secundum genus non praecipiantur, aut prohibeantur, licet, eo ipso quod eligendi sunt, praecipiantur, quod sunt in determinata specie virtutis, & prohibeantur secundum speciem determinatam virtutis. V. g. Deus determinate non praecipit, nos scilicet illum amare, sed praecipit, sub conditione quod operemur circa Deum, ut est in se bonus, praecipit, quod apponamus actui rectitudinem charitatis, & prohibet, ut apponamus deonestatem odij Dei: ergo tales actus sunt indifferentes secundum genus, & boni, aut mali secundum speciem. Patet consequentia: nam actus, secundum id quo non cadit sub praecipio, non est bonus, aut malus moraliter, sed indifferens. Ex quibus satis manet praedicta assertio probata.

6. Dicendum est tertio, repugnare, quod actus aliquis supernaturalis sit indifferens ex obiecto. Haec est communis inter Theologos. Et suadetur ratione: nam nullum obiectum supernaturale est indifferens, sed ex se determinate bonum moraliter: ergo nullus actus supernaturalis potest ex suo obiecto, seu secundum suam speciem esse indifferens. Consequentia est bona: Et antecedens probatur: nam omne obiectum supernaturale est quaedam participatio specialis Dei; sed Deus sub nulla ratione est obiectum indifferens, sed determinate bonum: ergo nullum obiectum supernaturale est indifferens.

Confirmatur: Nam omnis actus supernaturalis ex se ordinatur ad salutem supernaturalem propriam, vel alienam: ergo ex se non est indifferens, sed determinate bonus. Antecedens probatur: nam omnis actus supernaturalis ex se petit procedere vel à virtute supernaturali, vel ab auxilio supernaturali, ut supponimus; sed omnis virtus supernaturalis, & auxilium ordinatur persè ad salutem propriam, vel alienam, ut docent communiter Theologi: ergo.

7. Dicendum est quarto, nullum dari habitum sive naturalem, sive insensum ex sua specie indifferentem. Ita communiter Theologi, contra nonnullos Recentiores. Et colligitur aperte ex D. Thoma infra quaest. 54. art. 3. ubi habi-

S. III.

Argumenta contra primam conclusionem.

tum operativum, & conducentem ad humanos actus distinguit adequatè in bonum, & malum. Colligitur etiam ex Philosopho cap. de Qualitate, ubi habitum ex genere diffinit per hoc, quod est, *Qualitas disponens subiectum bene, vel male ad suam naturam*: Et in 2. Ethic. dicit, quod habitus sunt, secundum quos ad passionem nos habemus bene, vel male; sed, si disponit bene, est habitus bonus; si male, est habitus malus: ergo non datur habitus humanus ex sua specie indifferens.

Et probatur ratione desumpta ex D. Thoma quaest. 49. art. 2. & quaest. 50. per tot. Nam proprium subiectum habitus est potentia rationalis, ut rationalis est; et quae subicitur imperio rationis; sed potentia rationalis non est capax habitus indifferens: ergo nullus habitus datur indifferens. Minor probatur: nam omnis habitus est dispositio potentiae rationalis in ordine ad propriam naturam rationalem ut rationalem; sed nullus est habitus indifferens, qui disponat potentiam rationalem in ordine ad propriam naturam rationalem ut rationalem: ergo nullus habitus indifferens recipitur in potentia rationali ut rationali. Probatur minorem omnino dispositio naturae rationalis ut rationalis debet disponere bene, vel male, sicut omnis alia qualitas; sed si disponit bene in ordine ad naturam rationalem, est bonus ex se; si disponit male, est malus: ergo nullus habitus ex se indifferens datur, qui disponat potentiam rationalem ut rationalem. Quae ratio communis est habitui naturali, & supernaturali, sed pro isto adhuc vrgent dicta non. praeced.

8. Sed ut praecipue tractetur scripturas: Notandum est, sensum harum duarum assertionum non esse, quod habitus, & actus illorum, non possint vitari ex aliqua circumstantia prava: nam fortassis fides, & character possunt elicere actus malos moraliter, ut de caractere expressè docet D. Thomas 3. p. quaest. 63. art. 2. & de habitu fidei alibi permittimus. Circa quod iudicium vicium, & determinatum suspensum relinquimus vsque ad tract. de Fide. Sed hinc non inferatur, quod ex se sint indifferentes: siquidem actus elemosynae est ex se bonus, & potest vitari ex aliqua circumstantia mala. Cum hoc tamen discrimine, quod habitus misericordiae non potest concurrere ad suum actum ex aliqua parte pravum, et quod est habitus rectificans appetitum; sed praedicti habitus, cum persè primò ordinentur ad verum, possunt, manente sua essentia, ordinari ad pravum finem, & concurrere ad actus malos moraliter; sed tunc adhuc non concurrunt, prout sunt mali moraliter, sed praecipue secundum suam entitatem, quae est ex se tendens ad obiectum bonum, non vero determinans ad bonum usum sui; & propterea possunt eorum actus vitari moraliter.

Paul. Theol. Salm. Tom. II.

Contra primam, & praecipuam assertionem arguitur primo: Nam inter privative opposita non datur medium; sed bonum, & malum opponuntur privative: ergo inter actum bonum, & malum moraliter non datur actus medius, id est, indifferens.

Ad hoc argumentum respondetur cum D. Thoma quaest. 2. de Malo art. 5. ad 3. ubi ait: *Dicendum, quod bonum, & malum in moralibus opponuntur contrarie, & non secundum privationem, & habitum: malum enim ponit aliquid, in quantum consequitur quendam ordinem, vel modum, vel speciem, ut supra dictum est. Unde nihil prohibet ea apponi mediata, sicut Philosophus ponit. Perpende verba contra eos, qui negant malitiam positivam in peccato commissionis.*

Sed quia est satis probabile in via D. Thomae, actum malum essentialiter consistere in privatione, & iuxta quoniam opinionem importare saltem ex consequenti privationem boni: Respondetur secundum, quod si illam dicit ex consequenti, non tollit medium, quia est privatio extremi contrarii: sicut in omnibus contrarijs vnum assertit privationem alterius, & tamen datur medium inter ea. Si vero illam dicit essentialiter iuxta alteram opinionem, dicendum est cum D. Thoma in praef. quod duplex est privatio: quaedam, quae consistit in privatione esse; & haec nihil relinquit, sed totum aufert, ut caecitas totaliter aufert visum, & mors vitam: & inter hanc privationem, & habitum non potest esse aliquid medium circa proprium susceptibile. Est autem alia privatio, quae consistit in privari, sicut agritudo est privatio sanitatis, non quod tota sanitas sit subvertita, sed quod est quasi quaedam via ad totalem ablationem sanitatis, quae fit per mortem: & ideo talis privatio, cum aliquid relinquit, non est semper immediata cum opposito habitu. Est hoc modo malum est privatio boni, quia non totum bonum aufert, sed aliquid relinquit. Unde potest esse aliquid medium inter bonum, & malum. Quod testimonium, quia continet doctrinam seculi dignissimam, de verbo ad verbum transcripsimus.

10. Neque ex eo inferas, quod si malum morale datum bonum non aufert, actus malus partim sit bonus, & partim malus moraliter. Nam intentum D. Thomae non est, quod malum morale relinquit aliquid bonitatis moralis in actu, sed quod actus, est sic sit malus moraliter secundum se totum, non habet malitiam ex omni capite; atque ideo ita potest esse malus ex aliqua circumstantia, quod maneat bonus quantum

tum est ex se, ex obiecto. Ex quo recte deducitur, quod relinquitur actum ex sua specie indifferentem, propter eandem rationem.

11 Arguitur *secundò*: Nam bonum, & malum se habent respectu actus voluntatis, sicut verum, & falsum respectu actus intellectus; sed nulla est propositio, quæ determinat non sit vera, vel falsa: ergo nullus est actus voluntatis, qui ex obiecto non sit determinatè bonus, aut malus moraliter: ergo non datur actus indifferens ex specie.

Ad hoc argumentum respondetur cum D. Thoma loco relato de *Malo* ad 9. ubi ait: *Dicendum, quòd verum, & falsum opponuntur secundum ens, & non ens: verum enim est, cum dicitur esse, quod est; falsum autem, cum dicitur esse, quod non est, vel non esse, quod est. Unde sicut nec inter esse, & non esse est medium; ita neque inter verum, & falsum.* Bonum autem, & malum non sic opponuntur: nam ad hoc, ut actus sit malus moraliter, non sufficit, quod non sit consonus rationi, sed requiritur, quod sit dissonus; & ita potest dari actus medius, qui est indifferens, qui neque ex obiecto est consonus, neque dissonus rationi. *Maximè*: Quia ante decretum divinæ voluntatis propositio de futuro contingenti neque est vera, neque falsa formaliter saltem, ex parte obiecti: cum quia indifferentia potest comparari indifferentia actus voluntatis.

12 Arguitur *tertio*: Nullus actus respicit obiectum sub ratione indifferentis: ergo nullus datur actus indifferens ex obiecto. Antecedens probatur: Tum, quia omnis actus respicit suum obiectum; vel sub ratione honesti, vel sub ratione delectabilis; sed si respicit illud sub ratione honesti, respicit illud determinatè sub ratione boni; si sub ratione delectabilis, respicit illud sub ratione mali, quia bonum præcisè delectabile est malum moraliter: ergo nullus actus respicit suum obiectum sub ratione indifferentis. Tum etiam: nam omnis actus humanus respicit suum obiectum sub ratione convenientis, aut disconvenientis naturæ rationali: ergo non sub ratione indifferentis. Tum denique: nam omnis actus humanus, vel ordinatur ad bonum finem, & sic iam respicit suum obiectum sub ratione boni moralis; vel non ordinatur, & sic est sub ratione mali moralis, sicut quilibet actus otiosus, ut infra ostendemus: ergo.

Respondetur negando antecedens. Ad primam eius probationem, concessa maiori, neganda est minor: nam bonum delectabile ex sua specie non est malum morale, cum non semper opponatur bono morali, alias non posset appeti in ordine ad bonum finem. Per quod constat ad secundam probationem: Nam plures actus sunt, qui tantum respiciunt suum obiectum sub ratione convenientis, aut disconvenientis naturæ sensitivæ; & hi ex se sunt indifferentes. Ad

tertiam respondetur, ex ea tantum inferri, quòd actus non relatus ad bonum finem sit malus moraliter in individuo. Cum quo recte coheret, quòd sit indifferens ex specie aut obiecto, quia ex suo obiecto est indifferens, ut ordinatur, vel non ordinatur ad bonum finem, ex quo arguitur esse indifferentem ex illo.

13 Arguitur *quarto*: Nam omnis actus humanus respicit obiectum ut morale; sed moralitas dividitur adæquatè in bonitatem, & malitiam: ergo nullus actus datur indifferens ex obiecto.

Et confirmatur: Nam implicat, dari speciem, cuius non possit dari aliquod individuum; sed non potest dari actus indifferens in individuo: ergo nec potest dari actus indifferens secundum speciem.

Hoc argumentum, & confirmatio tangunt duas difficultates satis graves, & præcipuas huius disputationis, quæ petunt singillatim exagitari. Quod duobus dubijs immediatè sequentibus præstatibus.

DUBIUM II.

Utrum indifferentia, quam habet actus ex obiecto, sit tertia species moralitatis distincta à bonitate, & malitia.

HOC dubium alijs terminis excitant N. Salmant. disp. 2. dub. 1. & alij, An nimirum, moralitas adæquatè dividatur in bonitatem, & malitiam? Sed re ipsa in idem coincidunt, ut cultibus consideranti constat. ¶ Circa quod duplex versatur ex diametro opposita sententia. Prima defendit, indifferentiam humanorum actuum esse veram speciem moralitatis. Ita plures tam intra, quam extra Scholam D. Thomæ, Martinez in præf. dub. vñico post primam conclus. Araujo dub. vñico n. 50. Serra, Contenton, Ioannes à S. Thoma, Mastrius dub. 5. de *Actibus humanis* q. 2. à num. 34. & q. 6. art. 1. Vazquez disp. 52. cap. 4. & alij. Est tamen inter eos aliquod discrimen, quibusdam assentientibus esse speciem negativam; alijs asserentibus esse positivam.

Secunda negat, nullo pacto esse speciem moralitatis. Ita Curjel hic dub. vñico conclus. 2. & 3. Lorca disp. 29. dub. vlc. Montes disp. 25. q. 1. num. 11. N. Cornejo disp. 6. dub. 3. N. Salmant. loco supra relato, & alij Recentiores tam intra, quam extra Scholam D. Thomæ.

Pro qua sit.



§. I.

Sententia negativa prelatio.

14 **D**icendum est, indifferentiam actus humani non esse veram speciem moralitatis. Et probatur *primò* ex D. Thoma in præf. art. 5. ad 4. ubi ait: *Circumstantia quædamque sumitur ut differentia essentialis obiecti, secundum quòd ad rationem comparatur, & tunc potest dare speciem actui morali. Et hoc oportet esse, quandoquæque circumstantia transmutat actum de bonitate in malitiam.* Ex quibus verbis arguitur ita: Nam si actus humani indifferentia esset vera species moralitatis, nunquam circumstantia tribueret differentiam essentialem actui ex obiecto indifferenti, cum supponeret aliam speciem moralitatis; sed iuxta D. Thomam circumstantia multoties transit in conditionem obiecti dantis primam speciem moralitatis: ergo iuxta D. Thomam indifferentia actus humani, non est species moralitatis.

Confirmatur: Nam art. 8. ait: *Actus humanus, qui dicitur moralis, habet speciem ab obiecto relato ad principium humanorum actuum, quod est ratio. Unde si obiectum actus includit aliquid, quod conveniat ordini rationis, erit bonus secundum suam speciem, sicut dare elemosinam indigentibus autem includat aliquid, quod repugnat ordini rationis, erit malus actus secundum speciem, sicut furari, quod est tollere aliena. Contingit autem, quòd obiectum actus non includit aliquid pertinens ad ordinem rationis, sicut levare solum de terra, ire ad campum, & bulusmodi, & tale; actus secundum speciem suam sunt indifferentes.*

Ex quibus formatur ratio probativa conclusivis: Nam indifferentia ex se non habet aliquod esse morale, sed solum esse naturale: ergo indifferentia non est species moralitatis. Antecedens probatur: nam obiectum, vel actus non pertinet ad genus moris, nisi quatenus dicit relationem ad rationem: sed indifferentia actus, vel obiecti ex se non dicit ordinem ad rationem: ergo non importat aliquod esse morale. Minor probatur: tam ex D. Thoma loco proximè relato. Tum etiam: nam omnis ordo ad rationem est per conformitatem, vel difformitatem ad illam; sed indifferentia non dicit ordinem conformitatis, aut difformitatis ad rationem: ergo non dicit ordinem ad rationem. Maior constat: nam ordo ad artem est per conformitatem, aut difformitatem ad illam: ergo etiam ordo ad rationem. Minor verò probatur: nam si dicit ordinem per conformitatem, est actus bonus; si per difformitatem, est actus malus: ergo indifferentia ex se non dicit ordinem conformitatis, aut difformitatis ad rationem.

15 Respondent communiter Adversarij, quòd ratio, & lex, prout in ea recludet, habet triplicem actum, nempe præcipere, prohibere, & permittere. Licet ergo actus indifferens ex se non conformetur cum ratione ut præcipiente, aut prohibente, conformatur tamen cum illa ut permittente, & hoc sufficit, ut indifferentia sit propria species moralitatis.

Sed contra est *primò*: Nam iuxta D. Thomam infra quasi. 90. art. 1. *Lex quedam regula est, & mensura actuum, secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur. Dicitur autem lex à ligando, quia obligat ad agendum: regula autem & mensura humanorum actuum est ratio, quæ est principium primum actuum humanorum; sed nullus inducitur ad agendum actus indifferens, prout indifferens, nec ab eis retrahitur: ergo nulla datur lex circa actus indifferentes. ¶ *Secundò*: Nam lex æterna comparatur ad ordinem rationis humane, sicut ars ad artificiatum, ut docet D. Thomas infra q. 7. art. 2. ad 4. sed ars non dicitur nisi de actibus bonis, aut malis in ordine artificiali, itaut id, quod non participat aliquam ex his speciebus, solum pertineat ad ordinem nature, & nullo modo ad ordinem artis: ergo nec actus indifferens dicitur ordinem ad legem æternam, ac proinde nec ad rationem, prout est proxima regula moralitatis. ¶ *Tertio*: Nam lex, quæ non curat de actibus, non est proprie lex moralis; sed lex non curat de actibus indifferentibus ut talibus, & propterea Adversarij legem permittentem appellant simul non curantem, ut videri potest Matris locis supra relatis: ergo non datur vera lex de actibus indifferentibus, ut talibus.*

Quartò & *principaliter*: Nam immediata regula moralitatis est dictamen synderesis, & prudentia, prout habet continentias virtutes eubulæ, & sinefis, ut alibi diximus; sed synderesis, aut prudentia non dicitur de actibus indifferentibus secundum se: ergo nulla est lex de illis. Minor probatur: nam prudentia, aut synderesis habet pro obiecto id, quod dicitur; sed actus indifferens ut tales nequeunt esse obiectum prudentiæ, aut synderesis: ergo non dicitur de illis. Minor probatur: Tum, quia obiectum virtutis debet esse honestum: ergo actus indifferens ut talis nequit esse obiectum prudentiæ, aut synderesis. Tum etiam: nam prudentia non dicitur nisi in ordine ad bonum finem, ut diximus ex D. Thoma disp. 1. numer. 67. ergo actus indifferens ut talis nequit esse obiectum prudentiæ.

16 Probatur *secundò* ratione: Nam si indifferentia esset species atoma moralitatis, fundaret aliquas proprietates morales; sed hoc est falsum: ergo indifferentia non est species atoma moralitatis. Maior constat: nam nulla est res constituta in aliquo ordine, quæ non habeat ali-

aliquas proprietates consecutas ad essentiam constitutam talis rei in illo ordine. Minor vero probatur: nam proprietates morales sunt tantum meritum, & demeritum, laudabilitas, & vituperabilitas; sed he proprietates non conveniunt actui indifferenti ut tali, sed actui bono, vel malo ergo.

17 Respondet Maltrius, etiam actum indifferentem habere suas proprietates, nempe esse laudabilem, quia non tantum laudabilis est, qui conformatur recte rationi precipienti, sed etiam qui operatio legem non violat, quae laus minima est in genere moris. Et ad hunc sensum potest accipi illud Eccles. 31. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit.*

Sed contrarium est: Nam apud omnes solum opera virtutum sunt laudabilia, & vituperabilia opera contraria, laudabilitate, & vituperabilitate proprie dicta de genere moris: quis enim laude, vel mercede aliqua dignum aliquem putet, eo praecise quia sperat, vel manus fricat? *Tum etiam:* Quia actus indifferentes ex se non minus sunt vituperabiles, quia ex se non sunt ordinati ad finem honestum, quam laudabiles, quia non violant legem: ergo cum vtrunque nequeat eis simul competere, nec debent esse aliquomodo laudabiles. *Maxime:* Quia meritum non competit actibus indifferentibus, neque apud homines, neque apud Deum: eo quod meritum dicitur in ordine ad retributionem, quae fit alicui secundum iustitiam, ad quod requiritur, quod agat in profectum alterius, ut tradit D. Thomas infra quest. 21. art. 3. & 4. & propterea praecitatus Author in sui evasione illius non meminit: & si actibus indifferentibus ex se non competit ratio meriti, non est, cur eis competat laudabilitas. Neque illud Eccles. est alicuius roboris: quia loquitur de illo, qui non est transgressus ex motivo alicuius virtutis.

§. II.

Argumentorum solutio.

18 **A**rguitur primò ex Div. Thomae quest. 2. de Malo art. 5. ubi ait: *Si loquamur de actu morali secundum speciem suam, sic non omnis actus moralis est bonus, vel malus, sed aliquis est indifferens.* En ubi actus indifferens appellatur moralis: ergo iuxta D. Thomam indifferentia est species moralitatis. ¶ Vergetur hoc ex alio testimonio satis perspicuo infra quest. 92. art. 2. ubi assignans ex D. Isidoro lib. 2. Ethymolog. cap. 19. actus legis, potius quam dixit, quod respectu actus boni precipere est actus legis, & respectu actus mali prohibere statim addit: *Quidam vero ex genere suo sunt indifferentes; & respectu bonorum lex*

habet permittere: ergo actus ex sua specie indifferens cadit sub lege: ergo est moralis.

Ad hoc argumentum responderetur, mentem D. Thomae satis constare ex locis adductis §. praecedenti. Ad primum testimonium dicimus, quòd D. Thomas sibi non sumit actum moralem formaliter ut *moralis*, sed materialiter, prout est idem, quòd humanus & liber: quo pacto solum consideratur secundum suam entitatem physicam, & actus indifferens condistinguitur ab actu bono, & malo fundamentaliter sumptis. ¶ Ad secundum dicitur, quòd actus indifferentes dicuntur a lege permitti, non quia actu dicitur, aut disponitur de illis, sed quia lex nolens praedictos actus secundum se precipere, aut prohibere, cum posset, permittit eos manere in eo statu, quem habent in esse physico. Et hoc constat ex his, quae D. Thomas ait, praedictae quaestiois cum Philosopho generaliter docet de omni lege; videlicet, proprium effectum legis esse homines, quibus datur, facere bonos; quod de lege permittente verificari non valet.

19 Sed dices: Nil est in rerum natura, quod non cadat sub divina providentia; sed actus divinae providentiae est lex aeterna: ergo actus indifferens cadit sub lege aeterna. ¶ Et confirmatur: Deus non permittit praedictum actum mere suspensivè, in quantum non precipit, aut prohibet eum, sed etiam positivè; sed praedicta permissio positiva non est, cur non habeat rationem legis, cum sit dictamen divinae providentiae, seu prudentiae ergo.

Ad hanc replicam responderetur, concedendo maiorem, & negando minorem. Nam dupliciter potest aliquid cadere sub lege aeterna, vel ut effectus illius, vel prout participatur à nobis per dictamen rationis, & applicatur ad regulandos nostros actus ut *liberos*. Verum quidem est, quòd actus indifferens cadit sub divina lege priori modo, quia est effectus omnipotentiae & gubernationis Dei, sicut omnia necessaria; sed non propterea est ex se moralis, sicut nec omnes effectus Dei. Posteriori autem modo nec ca sunt sub lege aeterna, nec hoc potest facile ostendi. Potest tamen dici, quòd praedicta lex habet vim legis respectu actus voluntatis divinae, quia voluntas Dei dicitur rationabilis, ut operans omnia per conformitatem ad praedictam legem. Adde quòd actus indifferens non cadunt sub divina lege, nisi prout ordinantur ad aliquem finem honestum pertinentem ad divinae voluntate; & hoc modo non sumuntur actus indifferens.

Ad confirmationem responderetur, quòd Deus etiam habet actum, quo permittit peccata sed non propterea praedictus actus habet vim legis respectu peccati, aliis vel esse honestum, vel indifferens. Ipsa autem permissio peccati est bona moraliter per ordinem ad legem divinam, quia

quia haec dicitur actum permittendi per ordinem ad honestum finem. Pariformiter ergo dicimus, quòd licet dictamen divinae providentiae dicitur de actu permittente actus ex se indifferens: non verò de ipsis actibus, prout à nobis sunt, si considerentur secundum se.

20 Arguitur secundò: Nam actus indifferens ex obiecto est in genere moris: ergo indifferentia est vera species moralitatis. Antecedens probatur: Tum, quia omnis actus liber, & humanus est in genere moris: sed actus indifferens, praecisè alijs, potest esse liber & humanus: ergo est in genere moris. Tum etiam: quia actus ut *moralis* solum addit supra seipsum ut *liberum*, & *humanum* relationem ad principium humanorum actuum, quod est ratio; sed talis actus dicitur relationem ad rationem: ergo est in genere moris.

Respondetur negando antecedens. Et ad primam probationem dicendum, quòd licet omnis actus liber, & humanus, prout in individuo, sit etiam moralis, secus verò ex sua specie: quia omnis moralitas est accidens respectu actus liberi, & humani. ¶ Ad secundam responderetur, quòd ratio dupliciter potest sumi: vel prout est quadam cognitio physica dirigens quempiam actum voluntatis, vel prout est regula moralis. Actus autem liber, & humanus solum priori modo dicitur relationem ad rationem; & hoc non sufficit ad hoc, ut sit in genere moris, sed debet dicere relationem ad ipsam, prout est regula moralis: cuius rationem non exerceat, prout est mera propositio, & directio in esse physico, sed prout dicitur actum esse faciendum, vel non esse faciendum.

21 Arguitur tertio: Nam plura obiecta sunt ex se indifferentia, quae ex se sunt moralia: ergo indifferentia est species moralitatis. Antecedens probatur: nam plura obiecta ex se indifferentia spectant ad aliquam inclinationem humanae naturae, ut cibus, & potus, ire in agrum, & alia huiusmodi, quae pertinent ad conservationem individui; sed haec sunt obiecta moralia, iuxta dicta disp. 1. num. 48. ergo.

Ad hoc argumentum responderetur negando maiorem. Ad eius probationem dicendum est, quòd praedicta obiecta non sunt ex se indifferentia, sed determinate bona moraliter; eo quòd per se sunt regulabilia per rationem, propter rationem tactam loco in argumento citato. Verum quidem est, quòd non habent moralitatem completam ob sui imperfectionem intrinsecam moris, & propterea petunt determinari per aliam moralitatem perfectiorem, sed vtraque constituit unam speciem adaequatam moralitatis. Ex quo arguitur rectè, in se habere aliquam bonitatem fundamentalem, ratione cuius sunt obiecta moralia, & non tantum indifferentia.

22 Ultimò arguitur: Nam species essentialis actus moralis sumitur ab obiecto: ergo species, quam actus indifferens sumit ab obiecto, est moralis. Pater consequentia; alias prima species non numeretur ab obiecto actus, sed à circumstantia.

Ad hoc argumentum satis constat ex dictis num. 14. ubi vidimus ex D. Thomae, circumstantiam quandoque transire in rationem obiecti. Et in hoc sensu omnes, qui negant eundem actum esse simul bonum, & malum moraliter, tenentur concedere actum habentem obiectum secundum se bonum, & malum finem habere aliquam primam, & essentialem moralitatem, non ex obiecto, sed ex fine, seu circumstantia. Ex dictis constat ad argumentum adductum num. 13.

§. III.

Dubium quoddam.

23 **I**nquires, quid dicendum sit de actibus bene, vel male sonantibus? Procul luce observa, actus male, & bene sonantes intelligi eos, qui ex se non sunt determinate consoni, aut dissoni rationi, inclinant tamen magis ad actum conformem, aut dissonem; & propterea appellantur bene, vel male sonantes. Et iuxta hanc expositionem occidere hominem, accipere rem alienam, & alia huiusmodi sunt actus male sonantes: nam licet ex suo conceptu generico non sint determinate mali, & aliquando sint boni, ut occidere hominem auctoritate publica ob bonum commune, & accipere rem alienam in extrema necessitate; ex se tamen potius videntur declinare in malum, quam in bonum; eo quòd ex se deformitatem important, nisi addatur circumstantia, à qua excusentur. E conversò salvare vitam hominis est actus bene sonans: nam licet secundum se abstrahat à bono, & malo, & quandoque possit esse malum, ut salvare nocentem; ex propria tamen significatione magis inclinat in bonum, quam in malum ob similem rationem. De his ergo merito inquiritur, an ex se constituant aliquam speciem moralitatis? ¶ Circa quòd triplex datur sententia. Prima tenet, actus male sonantes pertinere ad speciem moralem diversam à moralitate actus mali, & actus indifferents. Ita Ildephonus Baptista in praef. disp. 191. pro qua refert Medinam in hoc art. conc. 4. Bañez 2. 2. quest. 4. art. 1. dub. 1. §. In vitis rei explicationem. ¶ Secunda dicit, quòd pertinent ad speciem boni, aut indifferents. Ita Martinez hic dub. vnicò §. Ex dictis, & alij. ¶ Tertia asserit, ad nullam speciem moralem pertinere, sed esse simpliciter actus indifferents. Ita N. Salmantic. in hoc tract. disp. 2. num. 7. & disp. 7. à num. 11.

24 Huic tertiae sententiae adheremus: quia est

est magis consentanea doctrina tradita in hoc & precedenti dubio. Et probatur breviter ratione: Nam prædicti actus non afferuntur ex obiecto, præcisè circumstantijs, determinatè bonitatem, aut malitiam: ergo sunt ex se absolute & simpliciter indifferentes; sed actus indifferentes non constituit propriam speciem moralitatis: ergo actus bonè, vel malè sonantes non pertinent ad aliquam speciem moralitatis. ¶ Et confirmatur: nam occidere hominem est quid genericum abstrahens ab occasione iuxta formam iustitiæ, & ab occasione ex vindicta: ergo ex suo conceptu generico præcisè dicit à bonitate, & malitia: ergo est indifferentes secundum prædictum conceptum ad bonum, & ad malum; sed actus secundum illam rationem, qua est indifferentis ad bonum, & ad malum, non pertinet ad aliquam speciem moralitatis, sicut nec actus ex sua specie indifferentes: ergo.

25 Sed obijciat: Nam actus huiusmodi non sunt indifferentes ex suo obiecto: ergo constitunt aliquam speciem moralitatis; non bonitatis, aut malitiam, ut ex se liquet: ergo aliam tertiam. Antecedens probatur: nam actus indifferentes non inclinat magis ad bonum, quam ad malum, sed in medio consistit; sed actus prædicti declinant magis ad bonum, quam ad malum, vel è converso: ergo non sunt indifferentes ex obiecto. Quæ obiectio potest desumi ex doctrina D. Thomæ quodlib. 9. art. 15. ubi ait: *Quædam sunt actiones, quæ de se sunt indifferentes ad bonum, vel ad malum, ut levare seculum de terra, vel aliquid huiusmodi, inter quarum numerum quidam computant habere plures præbendas, sicut haberet plura poma. Sed hoc non videtur esse verum;* sed hic actus tantum est malè sonans, propter rationem quam ibi addicit D. Thomas, nempe quia in nullo casu dispensationem recipere posset: quod nullus dicit: ergo iuxta D. Thomam actus malè sonans non est indifferentes.

Ad hanc obiectionem respondetur negando antecedens. Ad cuius probationem dicimus, ex ea tantum inferri quandam differentiam secundum quid inter actum indifferentem, & actum bonè, vel malè sonantem, quam tantum intendit D. Thomas loco proximè relato. Undè absolute & simpliciter prædicti actus sunt indifferentes ex obiecto, propter rationem supra traditam.

26 Nota tamen, quòd sunt quædam nomina actus bonè, vel malè sonantis, quæ non significant eum cum prædicta præcisione, sed ut assortiatum cum circumstantia, quæ reddit ipsum absolute bonum, aut malum ex obiecto, ut *furtum fornicatio, homicidium*; & tunc actus significantes non est præcisè bonè, vel malè sonans, sed absolute est malus ex obiecto, sicut visitare Ecclesiam, visitare infirmos sunt actus ex sua specie boni: quia actus, ut significatus

per *furtum* (v.g.) habet pro obiecto specificativo adæquato non præcisè acceptionem rei alienæ, sed invito Domino, idemque contingit in actibus significatis per alia nomina proximè relata.

Nec refert, quòd Iudæi furati sunt licitè vasa Ægyptiorum: ergo *furtum* non extrahitur à nominibus præcisè malè sonantibus. Non (inquam) refert: Nam illa acceptio ibi non habet rationem *furti*, nec significat aliud, quam accipere rem alienam. Tum, quia Deus præcepit Iudæis, ut tollerent vasa Ægyptiorum; & hac ratione illa acceptio non meretur nomen *furti*, eò quòd non fuit facta invito Domino, quòd significat *furtum*, cùm Deus sit supremus Dominus omnium rerum; sicut nec meretur nomen *fornicationis*, qui ex dispensatione divina accederet ad non suam, qui ex vi illius esset in sua potestate. Tum etiam, quia servierunt Iudæi Ægyptijs sine mercede ob evitanda maiora damna, & hac ratione potuerunt uti licita compensatione, & sic ablatio illa non fuit absolute invito Domino, nec habuit rationem *furti*.

DUBIUM III.

An detur actus indifferentes in individuo?

27 Accedimus iam ad præcipuum huius disputationis controversiam, quæ procedit de actibus liberis, liberatis, & fortiori Auctores pro secunda sententia: Quoad primam partem Noltri Salmant. in hoc tractu disp. 7. dub. 2. num. 46. pro qua referunt Cornelem, N. Cornexo, Valentiam, Granados, Suarez, & alios. Ex quibus hanc vltimam amplectimur & explicamus duobus assertionibus.

Prima, & potissima assertio.

28 Dicendum est primò, nullam dari actum per se indifferentem in individuo. Hanc assertionem esse iuxta mentem D. Augusti, D. Prosperi, D. Fulgentij, & aliorum Augustini discipulorum, aperte faretur Vazquez cap. 1. §. *His rationibus*. Eamque docent alij PP. ut Basilus, Greg. Orig. Christof. Bernardus, & alij, quorum nonnulla testimonia inter disputandum adducemus.

Et probatur ratione fundamentali D. Thomæ: Nam homo operans ex ratione deliberata tenetur omnem suum actum ad finem honestum ordinare: ergo actus sitiens in obiecto, seu sine indifferenti est positive malus. Antecedens, in quo est præcipua difficultas, probatur: nam homo operans ex ratione deliberata operatur ut *rationalis*; sed homo operans ut *rationalis* tenetur omnem suum actum ad finem honestum

ordinare: ergo homo operans ex ratione deliberata tenetur omnem suum actum ad finem honestum ordinare. Maior est certa. Et minor probatur: nam homo operans ut *rationalis* tenetur operari conformiter ad finem proprium naturæ rationalis ut *rationalis*; sed finis proprius naturæ rationalis ut *rationalis* est finis honestus: ergo homo operans ut *rationalis* tenetur omnem suum actum ad finem honestum ordinare.

29 Respondent communiter Adversarij, ealem obligationem operandi in omni actu ob finem honestum non satis probari ex prædicta ratione: quia, ut homo operetur ut *rationalis*, non requiritur, quòd omnia suum actum ordinet ad finem honestum, seu ad finem proprium naturæ rationalis, ut rationalis est; sed sufficit, quòd operetur in ordine ad finem à lege permissum, per quod sufficienter distinguitur à brutis. Unde prædictum præceptum est prorsus voluntarium.

Sed hæc evasio efficaciter refellitur, illustrando prædictam rationem. Nam homo ut *rationalis*, vel operans ex ratione deliberata, eo ipso quòd non operetur in ordine ad finem honestum, non operatur iuxta primam inclinationem naturæ rationalis ut *rationalis*; sed operatio procedens ab aliqua natura, & non iuxta primam eius inclinationem eo ipso est defectuosa: ergo operatio procedens ex ratione deliberata, & non ordinata ad finem honestum nequæ non esse mala. Maior patet: quia naturæ rationalis suam primam inclinationem dicit ad finem honestum, ut docet D. Thomas inf. a quæst. 1. art. 2. & non negat Adversarij. Minor vero probatur: Tum, quia in causis naturalibus, eo ipso quòd natura operetur, & non iuxta inclinationem talis naturæ, operatio est absolute defectuosa v.g. si calor operetur, & non calefaceret, eo ipso operatio illius censetur defectuosa, seu monstruosa, itém eo ipso, quòd quis veatur arte ad operandum, & operatio non evadat iuxta inclinationem artis, operatio est defectuosa in ordine artificiali: ergo pariter si operatio procedat à natura rationali ut tali, & operatio non exit iuxta inclinationem illius, positive debet esse defectuosa in ordine morali.

Prima, & potissima assertio.

28 Dicendum est primò, nullam dari actum per se indifferentem in individuo. Hanc assertionem esse iuxta mentem D. Augusti, D. Prosperi, D. Fulgentij, & aliorum Augustini discipulorum, aperte faretur Vazquez cap. 1. §. *His rationibus*. Eamque docent alij PP. ut Basilus, Greg. Orig. Christof. Bernardus, & alij, quorum nonnulla testimonia inter disputandum adducemus.

Et probatur ratione fundamentali D. Thomæ: Nam homo operans ex ratione deliberata tenetur omnem suum actum ad finem honestum ordinare: ergo actus sitiens in obiecto, seu sine indifferenti est positive malus. Antecedens, in quo est præcipua difficultas, probatur: nam homo operans ex ratione deliberata operatur ut *rationalis*; sed homo operans ut *rationalis* tenetur omnem suum actum ad finem honestum

ter vitiosus operatur, qui non vitior synderesi, & non deducit operationem positivè illi consonam.

30. Probatur secundò ratione: Nam actus otiosus est positivè malus moraliter; sed actus sitiens in fine seu obiecto indifferenti est omninò otiosus; ergo est positivè malus. Maior constat nam verbum otiosum est positivè malum, & propterea redditor sumus de eo rationem in die Iudicii, ut dicitur Matth. 12. ergo etiam actus otiosus. Minor verò probatur: Illud opus, aut verbum est otiosum, quod caret obiecto bono, & bono fine: hoc enim modo diffinit verbum otiosum D. Gregorius hom. 6. in Evang. ubi ait: Otiosum quippe verbum est, quod aut utilitate recitandis, aut ratione iusta necessitatis caret. Orig. hom. 1. in Psalm. 38. ubi inquit: Est sermo otiosus, quod neque boni, neque mali aliquid agit. Idem docet Div. Hieronym. in cap. 12. Matth. D. Bernardus, & frequenter Patres: ergo actus sitiens in obiecto, seu sine indifferenti est omninò otiosus.

31. Huic rationi respondent communiter Adversarij, faciendo verbum, & actum otiosum esse positivè mala; sed negant, actus indifferentes esse otiosos, quando habent aliquam utilitatem physicam, & naturalem. Vnde fricare manus, vel deambulare propter aliquam recreationem, vel levem commoditatem non sunt actus otiosi.

Sed contrariè est: Nam ex hac solutione aperte sequitur, actus elicitos propter aliquam utilitatem physicam, vel esse determinatè bonos, vel determinatè malos: ergo non sunt indifferentes. Antecedens probatur: nam vel talis actus dicitur à prudentia, vel non dicitur? Si dicitur primum: ergo sunt absolute boni; quia sunt conformes recte rationi. Si dicitur secundum: ergo sunt positivè mali. Probatur hæc ultima consequentia ex dictis pro prima ratione: nam actus naturæ rationalis, qui non est iuxta inclinationem recte rationis, eo ipso est positivè malus.

Et confirmatur: Nam prædicta utilitas vel est parva, vel est magna? Et similiter, vel tenet modum, vel non tenet, vel si per totum diem fricaret manus? Si utilitas est magna, & tenens modum, eo ipso est actus virtutis: quia est conformis rationi, & propterea Arist. 4. Ethic. cap. 8. & D. Thomas 2. 2. quæst. 168. art. 2. 3. & 4. constituunt quandam virtutem, quam Arist. vocat *Eutropiam*, & D. Thomas *lucumditatem*, cuius virtutis munus est ponere medium in ludis, & delectationibus: Si autem est adeo parva, ut non egrediatur limites actus indifferentis, vel non tenet modum, ex utroque capite fit actus positivè malus, quia neutro modo est conformis rationi.

32. Et confirmatur secundò: Nam omnis utilitas debet ex se ordinari ad bonum delecta-

tile, vel ad bonum honestum; sed neutro modo manet in linea indifferentis: ergo actus habens aliquam utilitatem non est in individuo indifferentis. Maior est certa: nam bonum utile ut tale non queritur propter se, sed in ordine ad finem, qui adæquate dividitur in delectabile, & honestum. Minor quoad secundam partem ex se patet: Quoad primam verò suadetur: nam actus elicitus precisè propter delectationem est positivè malus: ergo non est in individuo indifferentis. Antecedens probatur primò aliquibus exemplis: nam actus coniugalis exercitus propter delectationem precisè est positivè malus, ut tradit D. August. lib. de Bono coniugali cap. 10. & 11. Et oppositum ab Innoc. XI. propof. fuit damnatum. Item delectatio de cognitione creaturarum non ordinando illam ad finem honestum est positivè mala, ut ex D. Augustino ex pressè tradit D. Thomas 2. 2. quæst. 167. art. 1. Rursus appetere ludos ponendo finem in delectatione, ex hoc ipso est positivè malum, ut etiam docet D. Thomas 2. 2. quæst. 168. art. 2. ad 2. Tarte dem sumere cibum, & potum præcisè propter delectationem, sed apud omnes est peccatum veniale: ergo actus elicitus precisè propter delectationem est positivè malus.

33. Probatur secundò idem antecedens ratio ne: Nam actus sitiens in bono delectabili, prout ab honesto distincto, non est actus naturæ rationalis, ut rationalis, ordinatus tanquam ad finem ad bonum, prout commune homini, & brutis, sive ad bonum naturæ sensitivæ; sed actus huiusmodi nequit non esse positivè malus moraliter: ergo actus præcisè elicitus propter delectationem est positivè malus. Maior liquet: nam naturæ rationalis ut rationalis non inclinatur nisi in bonum honestum; & bonum delectabile est præter eius inclinationem, ut concedens Adversarij. Minor verò probatur: nam actus superioris naturæ ordinatus ad bonum inferioris naturæ nequit non esse positivè malus, & contra legem naturalem: lex enim naturalis præcipit, ne actus ex se inclinans ad finem proprium superiores naturæ, ex eo quod ortum habet ab ipsa naturæ, fiat propter finem inferioris naturæ: ob quam rationem celebrare ob lucrum temporale sicut ibi est positivè malum: ergo actus naturæ rationalis sitiens in bono delectabili est positivè malus.

§. II.

Affertio secunda, & minus principalis:

33. Dicendum est secundò, posse dari actus indifferentes in individuo per accidens. Pro quo supponendum est, huiusmodi actus esse in individuo fundamentaliter malos ex defectu circumstantiæ cui finis per se exacti, ex vi legis proximè explicata. Dicitur

tamen per accidens indifferentis: quia procedens ex ignorantia invincibili, aut opinione probabilis neque est positivè bonus, neque positivè malus.

Et probatur ratione: Nam casu, quo quis existimans opinionem Scoti esse valde probabilem, & volens in operando se conformare cum illa, vel casu quo laboraret ignorantia invincibili, teneri ad apponendum finem honestum actui indifferenti ex obiecto, & operaretur sistendo in illo, hic in tali casu non operaretur male moraliter; aliàs neque bene: ergo prædictus actus esset indifferentis in individuo. Maior imprimis probatur: nam ignorantia invincibilis, & opinio probabilis excusant à peccato: ergo non operaretur male moraliter. Deinde probatur minor: nam tunc in tali obiecto nullam honestatem amaret; imò nec apprehenderet: ergo neque operaretur bene moraliter.

34. Huic rationi satis efficaci multiplex iter respondent Adversarij. Primò respondet Medina, negando suppositum, nempe, quòd possit dari ignorantia invincibilis circa præceptum obligans ad apponendum bonum finem: atque ideo licet ignorare possit speculative hunc actum esse peccatum; evidenter tamen cognoscit, actum non ordinatum ad bonum finem, sed ad otiosum, esse peccatum.

Sed hæc evasio nullius momenti est. Tum, quia negari non valet, sententiam oppositam esse probabilem: ergo præcisè non peccat, qui illi se accomodat in operando, ut in alijs contingit. Tum etiam: nam Authores oppositæ sententiæ ignorant, prædictum præceptum, vel probabilis censent non dari tale præceptum: ergo non est, cur plures rusticæ illud invincibiliter non ignorent; sed in omnium sententia actus elicitus ex ignorantia invincibili, vel opinione probabiliori in existimatione operantis non est præcisè malus moraliter: ergo. Tum denique: nam prædictus Author iam concedit ignorantiam invincibilem circa aliquem actum in particulari, videlicet quòd sit otiosus, & peccaminosus: ergo talis actus nequit esse malus moraliter, seu præcisè. Patet consequentiam repugnantem actum aliquem hic & nunc esse peccaminosum formaliter, præcedente ignorantia invincibili circa illum; aliàs quis ignorans invincibiliter esse licitum furari ad dandum elemosynam peccaret furando. Nec valet dicere, ignorantiam non liberare à malitia, sed tantum excusare, ne illi imputetur. Non (inquam) valet: Quia est inauditum, quòd ignorantia sit sufficiens ad excusandum, & non ad tollendam totaliter malitiam formalem.

35. Secundò respondent alij, talem actum fore bonum moraliter: quia operatur licitè; quod idem est, ac operari honestè.

Nec hæc evasio, & motivum, cui fides, est alicuius momenti. Tum, quia operans nullam

videt honestatem moralem in obiecto indifferenti: ergo nequit esse bonus moraliter. Patet consequentiam implicatioris est actus bonus moraliter, si non respiciat obiectum moraliter bonum, vel secundum se, vel in apprehensione. Tum etiam: Nam tunc operari licitè est bonum moraliter, quando actus est licitus ex vi legis non solum permittentis, sed etiam proponentis honestatem moralem; sed qui operatur circa obiectum indifferentem, sistendo ibi, ex ignorantia invincibili, aut opinione probabiliori operaretur licitè ex vi legis permittentis in existimatione ita operantis, & non in vi legis proponentis honestatem moralem: ergo nequit esse bonus moraliter. Tum denique: Nam omnis actus bonus moraliter debet pertinere ad aliquam virtutem, vel ad aliquod altius virtutis sed virtus non concurret ad actum præcisè licitum, hoc est, permittitum à lege, sed etiam ad actum habentem positivè, & formaliter obiectum moraliter bonum ergo.

36. Propter hæc alij addunt aliud motivum, propter quod prædictus actus esset bonus moraliter: videlicet quia sequi opinionem probabilem est conforme dictamini prudentiæ; & certum est, actum conformem dictamini prudentiæ esse honestum.

Sed hoc motivum ex proximè dictis manet præclusum: Nam opinio probabilis talem relinquit actum, qualem eum proponit; sed opinio probabilis circa actum ex obiecto indifferentem non proponit actum, seu obiectum moraliter bonum; aliàs non esset huiusmodi opinio circa indifferentiam illius, sed circa aliquam bonitatem, sicut dum quis existimat esse bonum furari ad dandum elemosynam: ergo ex vi prædictæ rationis non sequitur, actum indifferentem ductum ex opinione probabilis esse moraliter bonum.

Neque verum est, prudentiam positivè dicere quamlibet opinionem rationabiliter probabilem, sed tantum eam, quæ simul cum ea proponit obiectum positivè moraliter bonum: quia eius obiectum est prædictum bonum, prout est obiectum virtutum moralium, quarum præcipua regula est prudentia. Vnde opinionem probabilem solum dicitur quoddam iudicium prædictum à prudentia tantum permittitum, & non elicitum. Si autem cum simili opinione probabilis simul iudicaretur cum conscientia erronea invincibili esse bonum illam sequi, tunc actus ex ductus talis conscientie esset honestus & dictatus positivè à prudentia, iuxta alibi dicta. Sed omnino chimericum putamus, quòd actus ex ductus prædictæ opinionis, & sine apprehensione alicuius bonitatis sit honestus moraliter, & dictatus à prudentia.

37. Sed obijcies contra dicta: Nam obiectum indifferentis tunc assumitur ut finis: ergo vel ut finis honestus, vel delectabilis? Si dicatur

primum: ergo actus est honestus. Si dicatur secundum ergo actus est malus.

Et confirmatur: Nam si daretur talis actus indifferens in individuo, ex repetitione illius generaretur aliquis habitus indifferens; sed non datur huiusmodi habitus, ut vidimus supra numer. 7. ergo.

Ad obiectionem respondetur concedendo enthymema. Et ad id, quod inferitur; dicendum est, quod talis finis esset delectabilis. Sed non propterea esset obiective malus formaliter, sed tantum fundamentaliter, seu materialiter: quia ignorantia invincibilis seu opinio probabilis est ratio, ut finis, aliis materialiter malus, maneat in ratione precise indifferens.

Ad confirmationem respondetur; quod non ex repetitione cuiuslibet actus generatur habitus; ut diximus disput. 1. de hoc actu. *Volo bene vivere*, & de pluribus actibus honestis, ad quos voluntas non indiget speciali virtute, & de actibus furandi ad dandam elemosinam precedentibus ex ignorantia invincibili, quibus non producit habitus inclinans ad furtum. Et hoc maxime videtur in actibus per accidens indifferens propter dicta num. 7. relato.

Quibus adde primo, quod habitus non producit, nisi ab actibus, qui ex obiecto habent difficultatem formalem; quam non important actus ex obiecto indifferens. Adde secundum: Nam habitus non generatur nisi ex repetitione actuum; & si aliquis nimis frequenter opus indifferens, ex hoc ipso esset malum apud omnes.

§. III.

Argumenta contra primam, & principalem assertionem.

38. **A**rguitur primo ex D. Hieronymo relato num. 3. ubi non tantum admittit actus indifferens ex obiecto, sed etiam in individuo, propter ea quae addit; videlicet, *sive illa feceris, sive non feceris, nec iustitiam habebis, neque iniustitiam*. ubi D. Hieronymus haud potuit expressioribus verbis explicare actionis indifferens exercitium in individuo: dantur ergo actus indifferens in individuo.

Respondetur, hoc testimonio, & similibus aliorum PP. tantum probari, quod actus indifferens secundum speciem per ordinem ad obiectum precise consideratum, etiam in individuo, neque esse bonos, neque malos moraliter. Sed cum hoc fiat, quod si fiat cum bono fine, & alijs circumstantijs rectis, sint boni; & si non apponatur eis bonus finis, sint mali, & non indifferens; iuxta dicta in limine dubij. Et quod hoc sit intentum S. Doctoris constat, alijs, etiam dum sunt ex fine honesto, non essent boni.

39. **A**rguitur secundum: Nam omnis natura specifica petit ad sui conservationem aliquid in individuo; sed dantur actus indifferens secundum speciem ergo etiam in individuo.

Ad hoc argumentum facile respondetur ex dictis loco proxime relato, quod species indifferens ita habet indifferentiam ex obiecto; quod adhuc individuata intra illam petit compleri ex fine honesto. Sicut homo secundum se, & intra propriam speciem individuatus, neque est albus, neque niger (ut videtur exemplo Angelici Praeceptoris) in te tamen non invenitur cum hac praecisione, sed semper est albus, vel niger. Et ut aperit hallucinatio Adversariorum; retorqueo argumentum contra eos: dum actus ex obiecto indifferens elicit ex parte finis aut demus hypotheseam possibilem, quod Deus praecipiat talem actum, ut referatur in finem honestum; vel talis actus in individuo est indifferens, vel non? Si dicatur secundum, corruit totum argumentum. Si dicatur primum, tunc neuter sateri, quod talis actus sumptus secundum individuationem praecipivam ab accidentibus est indifferens, licet ex fine, & accidentaliter sit malus. Patet nos dicimus, quod talis actus in individuo est indifferens, sumpta individuatione per ordinem ad speciem; sed vitiosus ad idem, hominem, dum talem actum exercet, teneri ad ordinandum illum ad finem honestum, quem si non apponit, ex defectu huius circumstantiae praeccepta redditor malus moraliter. Neque contra hanc solutionem potest esse aliqua replica, quae non possit retorqueri ex dictis contra Adversarios.

40. **A**rguitur tertio (et erit replica contra praecedentem solutionem) Nam nullum est praecceptum referendi in finem honestum omnes actus ex ratione deliberata provenientes: ergo sunt in individuo complete indifferens. Antecedens probatur primo: nam vix vilis est, qui, quando faciem lavat, ac sputat, cogitet se teneri ad apponendum semper finem bonum: ergo si quis non dari tale praecceptum: Tum etiam nam si daretur tale praecceptum, esset in vi alicuius virtutis, & violatio pertineret ad aliquod vitium; sed non est assignabilis huiusmodi vitium, aut vitium: ergo.

Et confirmatur primo: Nam si daretur tale praecceptum, levare festucam absque fine aliquo honesto esset sufficiens materia penitentiae; sed hoc est falsum, ut experientia constat, quod nullus de hoc, aut similibus actibus se acculat; nec Sacerdos de illis precise absolveret: ergo. Confirmatur secundum: nam etiam essent materia voti ad hunc sensum, ut apponatur finis honestus; sed hoc nullus admittit: ergo.

Ad argumentum respondetur, negando antecedens. Ad primam probationem dicendum est, quod, qui callent, & tenent nostram sententiam, adstricti praeccepto reputantur. Et si ali-

aliquando exercent huiusmodi operationes, & propter oblivionem moralem, quae scilicet est in his rebus, quam in alijs maioris pondus, non cogitant de illo, per accidens erunt indifferens in individuo. Ad secundam respondeatur, obligare, non ex aliqua virtute determinate, sed ex hac, vel illa: quia huiusmodi praecceptum tantum praecipit apponere finem honestum, prout est obiectum alicuius virtutis, vel ex syn-derefi, quae altior est omni virtute. Nisi velis dicere, quod hoc praecceptum obligat ex virtute prudentiae, cui specialiter incumbit apponere finem rectum omnibus operationibus humanis, & cui specialiter videtur opponi actus otiosus pertinens ad vitium otiositatis illi contraria.

Ad primam confirmationem respondetur, permitiendo sequelam: Nam experientia constat, quod timorati se accusant de verbis, & actibus otiosis, qui coincidunt cum indifferens in individuo. Et Confessarius penitentem absolvere potest precise cum hac materia, dummodo constat de eorum perfecta deliberatione, & de eorum otiositate, seu indifferentia. Sed quia de utroque datur communiter dubium, expedienda est alia materia certa: Et si haec con-apponatur, potest absolvi sub conditione. Ad secundam respondeatur, quod licet absolute praedicti actus non sint materia voti, quia non sunt de re meliori sub conditione tamen possunt esse materia illius, ut si quis sit paratus eicere huiusmodi actus, potest se obligare ex voto ad ordinandos illos ad finem honestum: quia sub hac conditione iam sunt de re meliori bono; sicut potest quis se obligare ex voto ad non peccandum cum piena advertentia.

41. **A**rguitur quarto: Nam potest dari omisio voluntaria in individuo indifferens, ut omisio audiendi sacrum in die feriali: ergo etiam potest dari actus indifferens in individuo. Patet consequentia: quia vel necessario, vel regulariter non contingit omisio voluntaria absque omni actu, qui sit eius causa, vel occasio. Antecedens probatur: nam illa omisio non est bona, cum sit carentia actus boni, neque est mala, quia non est omisio actus praeccepti: ergo est in individuo indifferens.

Ad hoc argumentum respondetur, negando antecedens: quia eadem ratio habenda est de actibus, qui sunt causa omisionis, ac de ceteris actibus indifferens ex obiecto. Vnde si negamus, hos actus non ordinatos ad finem honestum esse indifferens in individuo, ex vi consequentiae etiam debemus negare esse indifferens actus, qui sunt causa omisionis actus boni non praeccepti. Nec sententia contraria in his actibus juveniet speciale motivum, quod non reperitur in alijs actibus. Et si actus, qui sunt causa omisionis praedictae, non sunt indifferens

in individuo, prius nec omisio, saltem extrinsece, hoc est, prout est effectus talium actuum.

42. **S**ed inquires: An praecceptum ordinandi actus indifferens in finem honestum sit negativum, aut positivum? Ratio dubitandi est: quia non videtur negativum; siquidem absolute non prohibet tales actus. Neque positivum; quia non obligat pro semper, atque aliquando actus in individuo indifferens esset licitus.

Respondetur, praedictum praecceptum esse negativum. Pro quo sciendum est, quodnam sit obiectum huius Obiectum ergo illius est, ne operemur sine fine honesto: hinc neque praecipit, neque prohibet ad actum indifferens absolute; prout tamen, quod licet quod elicitur ex deliberatione, ut fiat ad finem honestum, quod est idem, ac quod non fiat absque praedicto fine; & hoc pacto est praecceptum negativum: Sicut praecceptum prohibens celebrare sine vestibus factis, quod nec praecipit, nec prohibet celebrationem; praecipit autem, ut absolute celebretur sic cum vestibus tactis; vel prohibet, ne celebretur sine illis. Sicut etiam praecceptum, quo obligabatur Angelus in primo & secundo instanti ad non diligendam suam beatitudinem naturalem sine relatione ad supernaturalem.

43. **I**terum inquires: An ex praeccepto charitatis teneamur omnes nostros actus in finem supernaturalem, qui est obiectum illius, ordinare? Ratio dubitandi est: quia non est maior ratio ad ordinandum illos in finem honestum, quam in finem charitatis. Maxime: Quia praecceptum huiusmodi intimatur ab Apostolo 1. ad Corinth. 10. illis verbis: *Sive manducabitis, sive bibitis, sive quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Sed ad hoc commodius constabit in tractu de Merito.

44. **T**andem inquires: An actus indifferens non plene liberi, nec ordinati ad finem honestum, quales sunt motus sensualitatis circa obiecta indifferens, quos ratio potuit praevinire, & non praevinire, maneat indifferens in individuo? Ratio dubitandi est: quia talis motus habent ex una parte sufficientem libertatem ad peccatum veniale, & ex alia carent sine honesto debito actu libero, quae est ratio vrgens pro actibus plene liberis circa indifferens: ergo non manent indifferens in individuo, sed sunt peccata venialia, licet inferiori malitia intra limites peccati venialis, quam motus veritantes circa obiecta ex se illicita, & gaudent simili tantum libertate. Et potest confirmari ex D. Thoma quart. 25. de Verit. art. 5. ad 7. ubi ait: *Cum aliquis accedit ad uxorem suam ex concupiscentia, dummodo non excedat limites matrimonij, est peccatum veniale*. Vnde patet, quod ipse motus concupiscentiae in coniugato iudicium rationis praevinens peccatum veniale est; sed potiori titulo hoc videtur in actibus indif-

diferentibus: siquidem motus concupiscentie in coniugato versatur circa objectum secundum se licitum, & solum est peccatum veniale, quia non ordinatur ad finem honestum directum a ratione, à qua potuit preveniri; ergo.

Nihilominus dicendum est, prædictos motus circa indifferentia manere indifferentes in individuo. Ita colligitur ex D. Thom. in præf. art. 9. in corp. ubi sic concludit: *Si autem actu non procedit à ratione deliberativa, sed ex quodam imaginatione, sicut cum aliquis fricat, fridam, vel movet manum, aut lapideum, talis motus non est proprie loquendo moralis, vel in anima, non est proprie loquendo moralis, sed in actu, cum hoc habeat actus à ratione: & si differens, quasi extra genus moralium. Et si existens. Idem docet in Malitia. Et si in actu, vel in imaginatione, lex imposita procedit à ratione, ut in actu, ne videatur nimis rigida, iuxta suam & communem providentiam tantum obligat ordinare ad finem honestum actus illos, qui sunt plene liberi, & ex deliberatione procedunt: quia prædictus finis est proprie rationis: ergo actus illi, qui preveniunt ratio-*

tionem & deliberationem, quamvis gaudeant libertate imperfecta, ex eo quod ab ea preveniri poterat, sufficienti ex se ad peccatum veniale non adunt sub prædicta lege. Nec per ratio est prodis, ac pro motibus venialibus circa inhonestum: Nam ipsa inhonestum obiecti ex se postulat prohiberi, nec actu versatur circa illud, gaudens quacunq; libertate, potest non malitia saltem veniali vinciari. Per quod constat ad rationem dubitandi.

Ad confirmationem respondetur, quod accessus carnalis, nisi ordinetur ad debitam proles procreationem, secundum se est obiectum inhonestum; & ita si à coniugato procedat ex deliberatione, & præcisè ob delectationem, est peccatum veniale, ut supra vidimus. Unde non est mirum, quod motus concupiscentie, non excedens limites matrimonii, & procedens iudicium rationis computetur à D. Thoma inter peccata venialia; quamvis non sit ita grave, sicut procedens ex deliberatione. Pro hac doctrina vide N. Salm. tract. 13. disp.

10. num. 74.



TRA-

TRACTATUS XI. DE VIRTUTIBUS.



UAMVIS Angelicus Doctor in hac 1. 2. à q. 2. inclusive usque ad 48. item inclusive agat de passionibus animæ, & ab hac proxime citata usque ad 54. differat de habitibus in communi, tractatum de his prætermittimus: tum, quia de passionibus nil peculiare occurrit dicendum, præter ea quæ in littera D. Thomæ, & Commentarijs Caietani continentur. Tum, quia de habitibus sufficienter constat ex dictis in Logica, & Philosophia. In quo alios Commentatores D. Thomæ imitamur, maximè N. Salmanticensis, speciali tamen titulo, quia brevitati, & compendio consulimus. Ideoque post tractatum de Actibus moralibus, inmediate instituumus tractatum de Virtutibus in communi. Circà quas D. Thomas à q. 55. quinque considerat. Cuius vestigijs inherentes, eodem ordine, prout fieri poterit, tribus disputationibus complectemur. In prima agendum est de earum natura. In secunda de illarum subiecto. Et in tertia de earum proprietatibus. Et, si nobis opus visum fuerit, addemus quartam pro aliquali indagine donorum Spiritus sancti. Cuius afflatu posse promissa numeris perfecte, & fructuose absolvi firmiter credimus, & fiducialiter speramus.

DISPUTATIO I.

De naturâ Virtutum.

Omnes ferè Authores cum D. Thoma supponunt esse virtutem, ex dictis q. præf. art. 3. ubi dividit habitum in bonum, & malum. Et propterea, prætermissa questione an est, procedimus ad indagandum quid est.

DUBIUM I.

An virtus humana sit essentialiter habitus?

HOC dubium in proprijs terminis excitat ex professo D. Thomas in præf. art. 1. in quo affirmativam tenet sententiam. Angelico præceptorum suffragantur communiter Theologi præsertim N. Salm. in præf. dub. 1. ¶ At Scotus in 1. di. 17. q. 2. §. Quantum ad istum articulum, & §. Ad alia argumenta, quamvis concedat cum communi sententia, esse habitum operativum bonum, ita ut complementum virtutis moralis sit bonitas moralis; dicit tamen has duas rationes, nempe habitum, & bonitatem, non se habere sicut genus, & differentiam, quæ constituant unam essentiam metaphy-

sicam; sed potius tanquam subiectum, & accidens constituenta unum per accidens; ita ut entitas habitus sit subiectum, & bonitas, per quam constituitur in ratione virtutis, sit accidens illi superveniens: additque prædictum accidens esse relationem prædicamentalem ad prudentiam, sive ad naturam. Subtilè Doctorem sequitur Franciscus Felix in hoc tr. cap. 1. diff. 2. & alij. Sed ante eius resolutionem opus est, aliqua ad veram notitiam habitus necessaria prælibare.

§. I.

Quoddam prænotabile ad essentiam habitus declarandum.

Licet naturam habitus in communi optionè diffinierint N. Complut. abbrev. in sua Logica disp. 15. q. 3. per hoc, quod sit qualitas, secundum quas res bonè, vel malè se habent diffinierint: non tamen ex hac diffinitione sufficienter dignoscitur habitus natura, nisi amplius explicetur, in quo consistat bonè, vel male afficere naturam. Pro cuius luce notandum est, non quamlibet afficientiam accidentis, quæ bonè, vel malè se habet subiectum, esse proprium habitum, alias quantitas, cœter-